Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift

A xvii Kl' Iulii

talibus lucernis dicit propheta. Illuc pro-
ducam cornu dauid. paraui lucernam xpo
meo. Unde et in euangelio dicit. Erat
autem lucerna ardens et lucens. De ta-
libus dominus ait. Nemo accendit lucernam
et in abscondito ponit sub modio. sed
super candelabrum. ut luceat omnibus qui
in domo sunt. Qui ergo lucerna esse uult
lumbos precingat. continenciam et casti-
tatem habeat. Sic enim precincti esse
debent. qui salomonis lectum custodi-
unt. Lectus salomonis ecclesia est. illius
salomonis videlicet qui ait. Ecce
plus quam salomon hic. Unde in canticis
canticorum dicitur. En lectulum salomonis
lx fortes ambiunt. et ex fortissimis
israel. Hi tenentes gladios. et ad bella
doctissimi. uniuscuiusque ensis super femur
suum propter timores nocturnos. Illi bene
precincti sunt qui super femur gladium habent.
illum videlicet gladium. quo castissima
iudith interfecit holofernem. Apostolus
autem non solum episcopos et sacerdotes. uerum
etiam omnes christianos. castos et continentes
esse iubet. Ait enim. Qui habent uxo-
res. tamquam non habentes sint. et qui so-
lutus est ab uxore. non ducat uxorem. Ecce
superius in libro de ornamentis ecclesie qui
de castitate titulatur. cuius initium est beatus
paulus apostolus.

Prefacio.

Conuersio gallicani prin-
cipis milicie. qui iturus
ad bellum contra scitas
sacratissimam uirginem con-
stanciam constantini impera-
toris filiam desponsauit. sed in con-
flictu positus nimium coartatus per iohannem et
paulum primicerios constancie conuersus
ad baptisma conuolauit. celibemque uitam
elegit. Postea autem iubente iuliano
apostata in exilium missus. martirio est
coronatus. Sed et iohannes et paulus eodem
iubente clam occisi. et in domo occulte
sunt sepulti. Nec mora persecutoris filius
a demonio arreptus. patris commissum
et martirum confitendo meritum. iuxta eorum
sepulchra saluatus una cum patre est bap-
tizatus.

Conuersio Gallicani nobilissimi romanorum ducis et martiris.

Sedet Constantinus.

Te memoratum gallicane
quia gentem scitarum
quam scis romane solam
resistere paci. nisi sepe te-
mere preceptis reluctari
bello pretrahis lacessere. cum pro tua stren-
nuitate id tibimet exercitus ad defen-
sionem patrie non ignores seruari. Gal-
licanus. Tuis enim o auguste constan-
tine obnixe manibus. pedibusque semper
insistens obsequiis. tue augustalis ex-
cellentie uotis effectu conabar respondere
operibus. nec umquam me subtraxi faciendis
Constantinus. Si opus est monitu iam
memorie fixum teneo. unde monui hor-
tando pocius quam arguendo morem ut
geras. G. Id ipsum studebo eciam nunc.
C. Gaudeo. G. Nec amore uite ab-
duci potero. quin pergam que iubes. C.
Placet. tuique in me beniuolenciam laudo.
G. Sed summa implende intencio serui-
tutis. summam expetit recompensacionem
mercedis. C. Nec iniuria. G. Diffi-
cultas enim laboris fit cuique tolerabilior
si haut incerta accipiende spe mercedis
releuatur. C. Patet. G. Unum cupidi
primum periculi in quo proponas in presenti
quo impigre dimicans sudore non frangar
certaminis. animatur spe retribucionis.
C. Quod dignissimum omnique uidebatur